



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

Sargar, Eliseus

Augustæ Vindelicorum, 1720

Conferentia XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41214

Dictum est autem in Resolutione, *nisi necessitas aliud urgeat*: quia quando sententia certa practica cari nequit, & necessitas urget, utique recurrendum est ad opiniones speculative probabiles; sic in casu extremæ necessitatis, in qua nil aliud occurrit nisi lixivium vel cerevisia ad baptizandum, potest formare conscientiam ita licere, imò debes ea adhibere baptizando potius cum periculo nullitatis Sacramenti, quam puerum sine baptismo relinquere certæ damnationi.

CONFERENTIA XXVI.

34. **P**orrò prædicta omnia intelligenda sunt quoad *essentialia*, quæ scilicet dependent ab institutione Christi. Nam quoad *Jurisdictionem Ecclesie* licet quis potest sequi opinionem verè probabilem, etsi minus certam, etiam in administratione Sacramentorum; ut si habeas opinionem probabilem, quod vi privilegii tui, vel concessionis factæ à Papa vel Episcopo, possis absolvere tali casu vel censura: assistere tali matrimonio, potes absolvere vel assistere; quia quoties est probabilis opinio de similibus dependentibus ab Ecclesie potestate, ipsa ex consensu tacito, & de præsentatione ratihabitione supplet, seu confert jurisdictionem certam. Ita docent Sanchez. lib. 3. de Matrimonio. disp. 22. n. 65. Suar. Less. & alii apud Tambur.

CONFERENTIA XXVII.

35. **M**edicus & Chyrurgus in medicinis applicandis tenentur sub mortali sequi sententias certas & securas, relictis incertis & dubiis. Ita omnes. Et quòd si certa curatio non occurrat, tenentur

nentur sectari opinionem probabiliorem, posthabitis minus probabilibus. Ita docent communiter Doctores Navarr. Man. c. 25. n. 61. Sanch. l. 1. moral. c. 9. n. 40. & alii. Ratio est: quia ultra obligationem generalem *charitatis*, quâ tenemur meliori seu efficaciore modo, quo possumus, auxilium ferre proximo graviter indigenti, hic etiam addit obligatio *justitiæ*. Cum enim æger vel læsus committit se curandum Medico vel Chyrurgo, & hic illius curam suscipit, intercedit inter eos pactum (implicitum) de adhibendis remediis, quæ magis salutifera videntur, si hic & nunc præ manibus haberi possunt: ergo Medicus vel Chyrurgus peccat contra pactum (*justitiam*) si omisso medio certo & securo, vel saltem probabiliore, incertum vel periculosum solum experiendi gratiæ adhibeat, ut quidam ait: *Experimenta per mortes quarunt*, ut notat Laym. hic §. 3. n. 15. Quod si verò ægrotus extremè laboret, ut certum, vel verosimillimum sit esse moriturum, nisi aliquo remedio utatur, & nil aliud occurrat, poterit Medicus adhibere quodcunque remedium (et si minus securum, vel dubium, ne fortè mortem acceleret) dummodo certè non constet esse mortiferum, & *probabilitas juvandi superet periculum nocendi*; atque ipsius infirmi vel consanguineorum consensus accedat. Ratio est: quia cum ex una parte vita infirmi jam desperata sit; ex altera autem parte spes sit vel probabilitas remedii, prudenter aget Medicus adhibendo hujusmodi remedium dubium. Ita Sanch. Vasq. Laym. & Communis.